

sabbatho, sed jugiter cogitandum, quod in ipso vivamus, moveamur ac fimus: *Aetor. XVII, 28.*

(2) A dextris nobis est Deus, ut custodiat, ducat, vi-ctores reddat. *L. de praesentia Dei gratiosa.*

(3) Perseverantia finalis non in humanis sita viribus, sed solius Dei donum est, ne moveamur: *1. Pet. V, 10. 1. Cor. I, 8. X, 13. Philip. I, 6, 1. Thess. V, 24.*

(4) Etiam mundani opinantur, se nunquam dimovendos, (*Psalm. X, 6. Jes. XLVII, 8.*) verum lubrico haec spes nititur fundamento: diripiuntur miserè: *Luc. XII, 19, 20.*

USUS E VERSU IX.

(1) Gaudium cordis nostri sit ex Dei praesentia gratiosa: *v. 8.*

(2) Ne animam, quae est nostra gloria, pro ludibrio temerè exponamus periculis, eam in juramentis oppi- gnorando, &c.

(3) De secura post mortem quiete curandum nobis unicè.

(4) Corpori sepultura convenit honesta.

USUS E VERSU X.

(1) De Christi ad inferos descensu *vid. art. IX. F. C.*

(2) Anima piorum, utut infernales quandoque experi- tur horrores, non tamen in inferno deseritur: Deus enim est nobiscum: *Pl. XXIII, 1. seqq. Jes. XLI, 10. XLIII, 2.*

(3) Messias est Dei Sanctus, sunt tamen & fideles, li- cet modo alio.

(4) Corruptionem utut experturi simus omnes, *Gen. III, 19. Cohel. XII, 7. in corruptione tamen illa non permanebimus: 1. Cor. XV, 42. seqq.*

USUS E VERSU XI.

(1) Deus solus est, qui viam ad salutem recuperan- dam, & invenit & patefecit, & per eandem nos manu propria deducit. Verba notitiæ (notificare) cum affe- ctu & effectu.

(2) Nos per peccatum mortui redire per gratiam pos- sumus ad vitam, tam gratiæ, quam gloriæ.

(3) Latitudo seu beatitudo caelestis nulli linguae explica- bilis: *1. Cor. II, 9. vid. L. de vita æterna.*

PSALMI XVII. DISPOSITIO.

Provocatio ad justum judicem. Rege nos verbo.

Sicut, vi tituli, mera hic continetur pre- scatio, ita Psalmum quoque distribui- mus tum in petitionem, *v. 1. seqq.* tum in spem: *v. 15.*

I. Precatio desiderat (1) auditionem: ubi actus est, *audi, attende*: audiendum est *Justitia*, seu id, quod justum est, nec non *clamor & precatio*. ratio: quia subest *justitia*, fervor, humilitas, *deest fraudulentia* *v. 1.* (2) judicialem decisionem, *judicium meum exeat à vultu tuo: v. 2.* (3) accuratam inspectionem: *oculi tui contemplantur re- ctitudines*: *ibid.* Hanc ipsam suam inno- centiam persequitur porro psalter, pro- bando eam (a) ex divina *cordis examina- tione*, *v. 3.* (b) *nocturna visitatione*, (c) *li- quatione*, (d) *nullius falsitatis deprehensione*: (e) *linguae cauta gubernatione*: *ibid.* (f) *se- dula latrocinii vel omnis injustitiæ devitatio- ne*, idque *ob reverentiam verbi divini*: *v. 4.* Desiderat porro Davidis precatio (4) *gres- suum in semitis divinis gubernationem*: *v. 5.* (5) *invocantis sui exauditionem*, *v. 6.* (6) *mi-*

ram gratiæ manifestationem, *v. 7.* & qui- dem contra *invasores violentos*: ratio, quia *DEUS in se confidentes salvare solet*: *ibid.* (7) *custodiam instar pupillae oculi*: *v. 8.* (8) *occultationem sui sub alis divinis* *ibid.* contra *impios devastaturos ac undique hostiliter cin- gentes*, *v. 9.* qui porro describuntur à felici- tate turgida ac *obesa*, *v. 10.* à grandilo- quentia fastuosa: *ibid.* ab *insidiosa gressuum omnium observatione*; *v. 11.* ab *internecino de- struendi studio*: *ibid.* à *leonina sevitie astutia- que* *v. 12.* (9) *hostium deturbationem*: *sur- ge, anticipa, prosterne*: *v. 13.* (10) *sui ere- ptionem*: *ibid.* ubi denuò subjungitur de- scriptio eorundem à *seculi hujus insano studio*; *v. 14.* à *concessarum facultatum affluxu*: *ibid.* à *quieto ad haeredes earundem transitu*: *ibid.*

II. Expositis desideriis concluditur Spe salutari de (1) *vultus divini conspectione*, (2) *exsatione*, (3) *beata evigilatione*: *v. 15.* si sc. omnino hic sustinendum diutius, nec li- beratio sequatur in hoc seculo.

PSALMUS XVII.

EXPLICATIO VERSUS I.

הפלה *Supplicatio*: vel oratio humilis ac supplex, qualis coram פלילי *judice* fieri solet; est enim hoc vocabulum à radice פלל, quæ in forensi est usu, significans *judicare*: hinc פלילי *judicium*. Sic ergo & h. l. David, iniquas partim calumnias, partim oppressiones & persecutio- nem passus, ad supremum veluti Judicem in cæ- lis appellat, ejusque justum judicium implorat. confer *Psal. IV, 2.*

לדוד *Davidis*: (ל) hoc loco nota genitivi, autorem exprimens.

שמע *audi*: animo scil. prompto ac benigno,

ita ut auditionem sequatur exauditio. Alias Deum verba quælibet, tam piorum, quam impio- rum, *audire* ac nosse, satis perspectum erat Davidi: *Psal. cxxxix, 2. seq. xciv, 9.* (qui aurem planta- vit.) verum talem notitiam simplicem hoc loco non desiderat, sed auditionem cum exauditione conjunctam, confer *Psal. X, 17. IV, 2.*

צדק *justitiam*: h. e. querelam meam de in- justa Saulis aliorumque hostium persecutione adeo æquam, ut sit ipsa veluti justitia. Chald. פניתי בצדקה *orationem meam in justitia*, h. e. ju- stam. AbenEsra: loquar צדק *justitiam*, vel justa, quia Deus משון *mendacium* vel iniqua non audit, *Job. xxxv, 13.* A mente Davidis discedi, dum nonnulli